



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1561. usque ad annum 1562

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118596

§. 9. Principum responsio ad utriusque Nuntii orationes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66624](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66624)

Sæcul. XVI.
A.C. 1561.

„unde nil magis certum videtur, nisi
 „quod illi, qui de errore in errorem im-
 „pune proruunt, & obvias quasque no-
 „vitates amplectuntur, tandem mutata
 „sæpius fide paulo post omnem abji-
 „ciant Religionem: hisce ergo dissen-
 „sionibus remedium est opponendum,
 „ac sollicite cavendum, ne hæc pestis
 „sele latius diffundat, omnesque Chri-
 „stiani orbis partes inficiat, præcipue
 „cum Deus nobis iratus, atque Europa
 „in plures sectas, quarum una alteri
 „adversatur, scissa sit, atque interea
 „Turca juratus Christiani Nominis
 „hostis sua potentia inflatus, atque
 „infaustis nostris dissidiis suffultus no-
 „biliaribus nostris Provinciis ruinam,
 „excidiumque minitetur: rogo itaque
 „vos omnes, ut ad Synodum vestros
 „ablegetis Oratores, qui sua dubia,
 „rationesque proponant, ob quas schis-
 „ma hoc conflare, vosque a nobis se-
 „gregare volueritis.,,

§. IX.

*Principum responso ad utriusque
Nuntii orationes.*

Pallav. e. 3.
num. 3. l. 4.

Ambobus hisce Nuntiis ita peroranti-
 bus, multi Principes ab eis prolata
 summatim in suis libellis annotabant;
 absolutis autem hisce sermonibus iidem
 Prin-

Principes inter se aliquamdiu submissa Sæcul. XVI.
voce collocuti, Electoris Palatini Can- A.C. 1561.
cellario injunxerunt, ut hoc respon-
sum daret. *Illusterrimi Principes audie-*
runt, quæ a vobis nomine Romani Ponti-
ficiis exposita sunt, & quoniam negotium
arduum est, nolunt in præsentia decernere:
convenient tamen inter se, ac postea respon-
debunt: gratum interim ipsis foret, si, quæ
locuti estis, scripto illis exhibere velletis.

Ad hæc responderunt Nuntii: satis
Pontificis mens patefacta fuit in Con-
cilii diplomate, necnon in literis ad Cæ-
farem missis: aliunde vero jussi sumus,
ne scriptum aliud tradamus. Perceptis
his verbis, post breve pariter collo-
quium inter se habitum submissa voce
Principes acquievere, & Nuntii hono-
rifice dimissi, eodemque deducti comi-
tatu, suas in ædes abiere. Ast vix
horæ quadrans præterierat, cum illico
nomine Principum advenerant Consiliarii, qui literas a Papa eorum Domi-
no perscriptas Nuntiis tradiderunt, hæc
addentes: „Magnifici Domini, Princi-
„pes nostri exiguo illo tempore, quo vo-
„biscum versabantur, conspicati non
„sunt ea verba in literis Pontificiis,
„Dilecto Filio, quoniam ea involucro ob-
„tecta erant, sed postquam animadver-
„terunt, se a Romano Pontifice filios

Hist. Eccles. Tom. XLIV. B voca-

Sæc. XVI.

A. C. 1561.

„vocari, rebus a vobis propositis nihil
„esse respondendum censuerunt.,,

His autem reponebat Commendonus: „Sanctitas sua erga vos ita sese gerit, prout omnes Christiani Orbis Principes habere, consuetudo fert; „sequitur enim morem semper ab ejus Prædecessoribus servatum.,, Verum Legati insuperhabita hac responsione relictis in mensa literis Pontificiis, nec non diplomate pro convocanda Synodo edito recesserunt.

§. X.

Contumeliosa Protestantium oratio ad utrumque Pontificis Nuntium.

*Pallav. c. 3.**num. 5.**Gratian. in vita Com-
mend. l. 2.
cap. 3.*

Ex indigna hac agendi ratione Nuntii haud obscure colligebant, eorum operam incassum impendi, eo quod Principes Papæ literas, quibus auctoritatis ipsis concessæ diploma erat inclusum, perlegere renuissent: nihilominus biduo post, seu septima Februarii die Nuntios convenere decem Consiliarii Principum, quos Protestantium quamplurimi comitabantur, atque inter eos quidam nomine Gregorius Cracovius vir doctus, ac Saxonie Electori valde familiaris prolixum habuit sermonem, in quo summatim hæc proferebat: „Principes minime dubitant, quin cunctis in nationibus reperiantur viri pii, qui